c figura & ſpecie uiolarum purpurearũ, ſuperiore parte purpurei, in medio candidi, inferiori uerò lutei, radijs quibuſdam nigris diſtincti. Quibus decidentibus ſemina protuberant.

LOCVS.

Sua ſponte in aruis interdum prouenit. In hortis tamen ut plurimum plantatur, ſpecioſiorq; naſcitur.

TEMPVS.

Vere uiola hæc poſt purpuream emicat, & tota æſtate floret.

TEMPERAMENTVM.

Herba in guſtu lentorem quendam, atque modicam acrimoniam ſeu mordacitatem præ ſe fert, atqueadeo à Symphyti temperamento non admodũ abeſſe uidetur, id quod etiam ex facultatibus quas illi recentiores tribuunt facilè deprehenditur. Calida itaque & ſicca eſt.

VIRES.

Quum acrimonię ratione incidendi uim quampiã habeat, ideo rectè recentiores aſthmaticis, pulmonisq; phlegmonibus prodeſſe tradunt: collectũ ſiquidem in thorace & pulmone pus expurgare poteſt. Hac ratione puerorum etiam comitialibus morbis auxilio eſſe ſolet. Cęterũ non parum ad pruritũ & ſcabiem confert, omniaq; cutis uitia emendat, idq; mediocris acrimoniæ & ſiccitatis ratione. Vlcera etiã, quia uiſcoſitatem obtinet, glutinare poteſt.

DE TEVTLO▸ CAP▸ CCCX▸

NOMINA.

Σεῦτλον unde dictum.

Beta cur dicta.

DEVTAON, ἢ σεῦτλον Græcis, Beta Latinis appellatur. Germanis Mangolt/ oder Pieſſen. Σεῦτλον autem Græci ab impulſu nominarunt, etenim cultus ratione quadam incrementũ capeſsit arboris, neque ulli hortenſium latitudo foliorũ maior. Betæ nomen ſibi adſciuit, quoniam figuram Θ literæ græcę dum ſemine turget referre uidetur. Nam ſummitatem in cacumine reflexam obtinet. Id quod teſtatũ nobis reliquit Lucius Columella in ſuo carmine de cultu hortorum ita canens:

Nomine tum graio, ceu litera proxima primæ,
Pangitur in cera docti mucrone magiſtri,
Sic & humo pingui ferratæ cuſpidis ictu
Deprimitur folio uiridis pede candida Beta.

GENERA.

Candida Beta. Eius à colore omnes duo genera faciunt, candidam & nigram. Candida alio nomine Sicula, ut Theophraſtus libro octauo de hiſtoria plantarum, & Plinius libro decimonono, capite octauo, memoriæ prodiderunt, appellatur. Et nunc extrita li-
Sicla. tera una ferè omnibus noſtri ſeculi medicis Sicla nominatur. Germanicè weiſſer
Nigra Beta. Mangolt. Nigra ad atrum uidetur tendere colorem, & à Germanis roter Mangolt uocatur.

FORMA.

Caulem habet ſtriatũ, bicubitalem, folium ferè Atriplicis, flores exiguos luteos, ſemẽ in caulibus copioſum: radicẽ unicam in longum protenſam, è cuius lateribus aliæ, modò ſingulæ, modò binæ, nonnunquã ternæ fundunt, fibris multis refertæ.

LOCVS.

In hortis paſsim, & cultis locis naſcuntur Betæ.

TEMPVS.

Iulio & Auguſto menſibus floribus & ſemine turgent.

TEMPERA-